



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Sardiniae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70132)



PROVINCIA SARDINIAE.



SETIT hæc Prouincia anno 1598. & 1599. Chorum enim duorum annorum res gestas hæ litteræ continent) Socijs centum viginti tribus: Saffari quadraginta: Calaribus quadraginta tribus: Ecclesijs nouem: Vndecim Algerij; in domo

Probationis viginti; obiëre sex; in Societatem recepti duodecim.

COLLEGIUM SASSARITANVM.

DEGVNT in Collegio Saffaritano quadraginta, Sacerdotes quindecim, quorum duo Theologiam, vnus Philosophiam, alter Rhetoricam docet: Scholares quatuordecim, inter quos duo sunt Grammaticæ Professores, vndecim qui domestica tantum munera exercent. Singuli meditationibus,

hibus, & exercitijs spiritualibus iuxta aureum Patris Ignatii libellum de rebus aliquot animum excoluerunt: unde virtutum optimarum subsequutus est fructus; omnes ritè adimplent sibi muneris suscepti partes. Nec molliore brachio litterarum studia pertractantur, cum in humanioribus, & Rhetoricis, tum altioribus Philosophiæ, & Theologiæ scholis; auditorum numerus maior sit in dies, & progressus. Gymnasia florem auxit non mediocriter institutio Seminariorum; cum enim linguæ Græcæ (quæ alioqui Sardinia auita est) subsidium magna ex parte defecisset, optimis P. N. G. auspicijs perfectum est, ut ad eam docendam in Roma mitteretur, qui præmissa de cognitionis Græcicæ laudibus oratione, eo ciuitatis, & omnium ordinum applausu ludum aperuit, ut Nobilissimos Atticæ linguæ lepores veluti palingenesiæ quodam ab ipso ingrata obliuionis tumultu visus sit reuocasse: nec frustra velitatum etiam à Philosophiæ, ac Theologiæ compluribus studiosis.

TOTO anno vtilis à Nostris habitæ conciones, nec usquam defuit, qui statis diebus populum ex ambone docens, salutarem in cælum viam ostenderet: plus tamen ijs videntur diebus potuisse, quibus effrenis ferè lurconum petulantia liberiùs desipere, & suum bacchanal agere consuevit. Tunc enim operæpretium visum est artem arte deludere, & quadraginta horarum in templo nostro preces statuere. Itaque adornato quo Christi corpus publicè adorandum proponi solet tabernaculo, nec non adhibitis in horas singulas concionibus, is factus est ad nos ciuium concursus, ut orgia momento desisse viderentur. Neque iam liberaliorum dies, sed ipsas hebdomadæ sacræ ferias agi dixisses. Et verò è tribus Sodalitijs, id potissimum cui sacræ Dei Matris Natalitia nomen fecere (cuius in carceribus, & Xenodochio inuisendis, in egestate pauperum subieunda, liberali pro illis conio-

ganda stipe, ac omni demum charitatis munere exercendo assiduitas, feruor, constantia, iustum omnino codicem requirit) hoc, inquam, Sodalitium verè parthenium in illa bacchantium liberiore licentia arctiores omnibus & grauitatis, & modestiæ frenos iniecit, ipsiusque alumni, non tam cereis, quos manu tenebant accensis, quam optimo suæ pietatis exemplo cæteris præluxerunt. Demum eximius constitit pij huius, ac salutaris inuenti fructus: multi enim ad statum quadraginta dierum ieiunii tempus exonerandam esse sibi peccatis conscientiam persuasi, postquam tota die matronis aurem præbere confitètibus omnes penè Collegij Patres Diuinus amor, & proximi charitas coëgit, ad multam noctem perstandum fuit, vt viri quoque audirentur. Alias confessiones annuas non commemoro, quæ ad decem millia peruenerunt. Pari studio restincta odia, & dissidentes inter pacem redintegrata. Quidam ex optimatibus ciuitatis impotenter, ac perditè scorto adhærens, vxori non sine totius regni scandalo nuncium remiserat: respuit verò Nostorum opera, & tandem abiecta pellice in gratiam redijt cum legitima coniuge. Mulier, cuius pudicitia nota quadam iniusta erat, cum à viro se percussam cerneret, necis oblatæ metu propria tecta deseruit: cumque in alienis ædibus latitans vnum è Nostris aduocasset, ipso auctore factum est, vt Deo primùm, viro deinde reconciliata, nouam instituerit rationem viuendi; salutifera confessionis & Eucharistiæ sacramenta octauo quoque die in templo nostro, tam piè ac religiosè frequentat, vt non domesticis tantum exemplo sit, verùm etiam toti ciuitati, bonus odor in Christo; iamque viro suo perinde cordi est, quasi nunquam datam sibi dexteram violasset, ac torum.

N E C intermissa doctrinæ Christianæ pueris, ac rudibus tradendæ cura, videas dominicis diebus conuocatis ad Gymnasium pueris non scholares tantum Societa-

ris, sed & omnes litterarum humaniorum Magistros ijs interdum Rector, & spectatissimus quisque Collegij Patet sese adiungit, cum virgula, & pallio ad portam expeditos, qui longum puerorum agmen ordine suo procedentium, & doctrinae Christianae capita, per ciuitatis plateas decantantium, ritè subsequantur: cumque eò deuentum est, vbi noua lectio tradenda sit à Magistro, res agitur vt non pueri tantum, sed ornatissimi quique ciues, qui eò solent confluere, non mediocrem fructum reportent. Nec sane huiusmodi pusionum diligentia, studio, concertationibus vllum dari potest gratius spectaculum ciuitati.

AD hæc operæ in Xenodochio, & publicis carceribus ritè lustrandis positæ fructus extat non leuis: foecundus quippe laborum, iuxta & miseriarum hic annus fuit: qua enim belli diritate nuper his temporum nostrorum perturbationibus, passim in Gallia Hispani omnes male mulctati ad remum, & vincula rapiebantur, eadem prope rerum inclementia, seu repressaliorum iure capti hic Galli complures publicas fermè custodias implebant. Miserandum erat cernere probos inuitores propriam citra culpam in teterrimum carcerem detrusos, vbi præter foetorem, & intolerabilem penè graeolentiam algore simul, & inedia conficiebantur. Vt itaque pia sunt viscera Societatis, à Nostris impensè curatum est, tum vt compediti omnes, tum verò infantes hi & plus cæteris afflicti peculiari quodam hospitalitatis iure subleuantur, victus, & vestitus honestè suppeteret, cunctis simul diebus dominicis conciunculam ab vno è Nostris audientes, spiritualiter recrearentur, crebriusque confessione lustrarentur. Eodem studio perfectum vt impetrato tandem à Principe Senatus mandato priora illa tam exosi carceris gurgustia constructis in quadrum spaciosis fornicibus dilatarent, ac liberiozem haurirent aerem. Quod

non paruo est, eritque deinceps captiuus alienamento. E fontium numero quidam omnino persuasus habens suis patibulum deberi criminibus, ante Iudicis sententiam nil habuit antiquius, quam vni e Nostris accensuram animi omnem committere, optimas illius motiones excipere, atque ad subeundam forti animo necem, vtroque in primis sacramento se commutare. Nec satis id Christiano athleta fuit, subinde ieiunij, ciliciorum gestatione, diuerberatione corporis, & alijs id genus afflictationibus sponte susceptis, breui eos magnanimitatis, & altioris constantiae spiritus hausit, vt plane sui dissimilis factus videretur, qui que antea vel ad solum Praetoris nomen cohorruebat, idem hilari vultu mortem appellaret; atque identidem longiores veluti moras nequentem eam incusaret. Demum restis collo inferitur, eam vero in delicijs habet: ad trabem funestam ducitur, hanc aram sibi expiatoriam salutari: scalas iubetur ascendere, eas expectata fronte, & impigro pede scandit; nec contractiunculam animi vel minimam praese ferens, quousque de admissis sibi maleficijs ex illo theatro petendam ab omnibus veniam censuit: tum profusus vt par erat lachrymis sibi Christi patientis nomine ignosci postulans, spiritalem omnium spem, in vltimo agone suo imploravit: ceterum se toto animo recipere mortem professus est, quam suorum spectabat fore criminum expiationem. Vox publica fuit huiusmodi, obitu non tam dici posse miserabilem, quam aliqua ratione, vel etiam viris optimis inuidendam.

A D I T V M quoque de more est Xenodochium, vbi absterse confessione crebro peccatorum maculae, erecti ad patientiam, & virtutum Christianarum studia iacentium animi, nec non eorum corpora suauioribus refecta edulij. Ad benignè his agendum & inuitati rogatu Nostrorum, & adducti quamplures, e praecipua nobilitate

hilitate viri, quos inter Arborensis Archiepiscopi liberalitas eluxit, qui non modò lautum pauperibus epulum parare, verùm etiam sua præsentia, quasi condimentum cibis afferret, mensæ benedictionem præfari, sitientibus poculum miscere, quemque bonis verbis compellere frequenter sit visus. Hic verò nec premi, nec multos fallere potuit bonus odor Christi. Nam ea de iuuâdis pauperibus increbescit in dies Societatis fama, vt si quis è numero proletariorum suo creditori soluendo non sit, si pignoribus ablatis coercendis, si leuioris debiti causa misello, vel carcer iam iam pateat, vel deferenda familia, nullum Collegio præsentius asylum putat, quò vbi confugerit, non antea discessum parat, quàm vel vnus è Nostris interuentu creditori sit factum satis, vel certe per fideiussorem (qui ferè inuenitur ex Parthenio Sodalitio) res tuto, ac meliore loco statuatur. Porrò quod vnuerse olim Societati gloriosum fuit, eritque semper, eos arctius in Christo complecti, qui pudore ingenuo coerciti stipem quaritare palam vel ipsa inedia durius putant: huiusmodi familijs plerisque ita consultum hoc anno fuit, vt earum nonnullæ paulatim è suis difficultatibus emergant; aliæ verò suis hanc malis factam esse medelam agnoscunt, vt de iniecto nobis hoc Christianæ pietatis animo diuinam prouidentiam assiduè laudent. Cætera turba hominum paralyfi, senio, aqua intercute, quouis incurabili vlcere languentium, partim è Collegio nostro (quod & ipsum multis difficultatibus circumseptum, & sola paupertate Christi diues est) accepta propè in diem stipe victitant, partim Nostros ad se accersitos de suis miserijs ritè condocent, atque vt in publico ciuitatis Nosocomio recipiantur, apud Quinqueviros, & Protomedicum eosdem sibi adhibent suffragatores.

MISSIONES factæ perutiles: non enim vicinis

oppidis, imò nec Arborensi Ecclesiæ Nostrorum defuit
 studium, Bosam (quæ ciuitas Alguerio ferè contermina
 mare Sordoum spectat ad occidentem) Antistitis, & ci-
 uium rogatu missus concionator, non tantùm è superi-
 ore loco populum sibi docendum censuit, verùm & locu-
 sim priuatis colloquijs alios ad virtutem cohortando,
 reuocandos à vitijs alios, singulis præbendam aurem
 confitentibus, & omni demùm opera venandas sibi ani-
 mas persuasit. Itaque perfectum Dei beneficio est, ve-
 restinctis multorum odijs, dissensionibus compositis,
 multorum latrocinio, rapinis, scenore sublatis, prauis
 artibus, & vaga libidine coercitis, pijs quibusdam sode-
 litijs, quæ sensim collabi visa ad feruorem pristinum re-
 uocatis: extrema denique pauperum egestate subleuata,
 luculentos atque vberes messis optatæ manipulos do-
 mum reportarit. Itum etiã ad pagos quorum in vno à
 Turritana ciuitate non longè distito, rusticani tres, qui
 toto biennio capitalia in pectore nutrierant o dia, ea que
 non nisi strictis cupiebant explere mucronibus, & fan-
 guine saturare vnus è Nostris hortatu deposuerunt. Alij
 duo eodem die, & loco extremis sibi odijs mutuo respõ-
 debant, iamque alteri alter necem parauerat, sed idem
 qui prius his auctor fuit deponendæ simultatis. Et facti
 pij conciliatoris vocibus sic aspirauit Deus, vt horum
 omnium priores illi tres conscientiam peccatorum one-
 re statim liberarent, atque vt compositam pacem arctio-
 ri diuini amoris vinculo colligarent, sacras primùm à
 Sacerdote nostro instructas epulas, simul degustarunt.
 repetito deinde prandio in cuiusque proprijs ædibus
 non sine magna oppidanorum admiratione, mutuis sele-
 conuiuijs exceperunt. Supererat in eodem pago gran-
 dæuus alter ex ijs, qui in Sardinia numeratis ouium gre-
 gibus alendis præsent, is inimicitias cum adolescentio-
 re graues gerebat, adeoque diuturni erat odij tenax, vt

ad remittendam iniuriam nullius antea potuerit oratione adduci. Adfuit verò vnus e Nostris, qui verbis pastoritio more cum eo habitis, ita senem pertractauit, vt quòd sibi nunquam iratus homo persuadere poterat, ope diuina præstiterit, & cuius antea vel ipsum nomen abhorruerat extemplo illius aspectu gaudens, coram omnibus rei nouitate admirantibus, illi & osculum pacis dedit, & iteratos fidi amoris amplexus.

DVM ita Nostris domi, forisque defudant, minimè deest materia patientiæ: mala enim sunt tempora (vt comicus ait) quando lupus lupinam est, & viri Ecclesiastici Religiosos infectantur. Enisi sunt rotis viribus templi nostri exstructionem impedire, non tantum subreptitio Pontificio diplomate obiecto: verum etiam ad disturbandas operas, architectis, & opificibus oblatam excommunicationis læ sententiam, ni ab incepto desisterent, minitantes, & vim, ac terrorem, quem potuere maximum exhibuerunt: his adduntur rumores falsi, quos eadem improbitate licentiæ de bona Nostrorum fama, & integritate spargebant; denique omnibus artibus incubuerunt, vt quoquo modo ciuium animos à nobis alienarent; id in primis suadentes, Nostrorum consortiū quasi mala omnia diffugerent, vtpote qui in ipsis agrotantium confessionibus opes venarentur, non salutem animarum. Sed frustra: nam quò magis mentes omnium à nobis abalienare studuerunt, eò magis Deus beneuolos reddidit, & nostri ordinis studiosiores. Quin etiam iisdem ferè diebus, cum maximè videretur hæc in nos procella defauire, quidam ipsorum Clericus, morti vicinus, ad nostri templi constructionem iustam suorum bonorum partem reliquit. Denique in tanta rerum iactatione Nostrorum (vt Societati solemne est) modestia, patientia, silentium, omnes aduersariorum machinas vincit paulatim, ac superat, & huiusce conciliatricis ani-

morum submissionis exemplo mirificè capiuntur ciues, uti frequentius nos adeant, suis de rebus accuratè consulant, & nostris sudoribus utantur ad omnia: nec quicquam est Magistratum, nobiliùmve, qui Societatis partes ex animo non tueatur. Peroprato nobis aduectus est Pater uisitor ex P.G. mandato inspecturus: primò Sassarum tenuit, & iam ea grauitatis, & prudentiæ suæ, tum domesticis omnibus, tum plerisque externis dedit argumenta, ut nisi vnus ipse ad omnia cum Archiepiscopo, & sequacibus ritè componenda, atque adeò medicinam tanto vulnere faciendam idoneus sit, nescio quis tandem AEsculapius possit expectari.

CALARITANVM COLLEGIVM.



OLLEGIVM Calaritanum tenent Socij quadraginta tres, Sacerdotes quatuordecim, Scholares sedecim, Coadiutores tredecim, Magistri septem (si his annumeres, qui pueros docet elementa prima litterarum) quos inter tres Sacerdotes ascribendi sunt: singulì non minori uirtutis studio domestica obeunt munera, quàm externa. Seminarium, quod Sassari coeperat, felicibus auspicijs iustis de causis huc à P. Prouinciali translatum, feliciori cursu progreditur: in eo namque nonnulli è Nostris intra biennium Græcis litteris sic imbuti conspiciuntur, ut poemata Græca pangere, & eadem lingua orationes benè longas pertexere norint. Minimè dubium, quin si quo coeptum est pede progrediantur, deinceps sine cortice natate, & quemuis auctorem Græcum probè valeant intelligere. Spectatus maximè hoc anno, tum in ciuitate,

tull

rum in suburbijis concursus, & assiduitas in concionibus audiendis, pariterque in Carechismi explicatione. Multorum crimina generali confessione deleta: pergrandes aris factæ restitutiones, nec non à turpioris vitæ tramine abducti quamplures. Mulier quædam zelotypiæ stimulis agitata, viri necem (quæ illius perturbationis comes est impotentia) omnino machinabatur, iamque parauerat letho necessaria, remque peregisset nisi vnus è Nostri industria obstructus sceleri fuisset aditus, & quieto esse animo miscellam iubēs, odia in pristini redintegrationem amoris vertere compulisse. In custodia detentos frequenter Nostri adeunt. Victu & vestitu pauperes subleuant, conciunculis ad eliciendam criminum confessionem, & leuius tolerandam carceris molestiam, eos cohortantur.

D V O R V M è Nostri facta missio, vt Archiepiscopum in dicecesi obeunda iuuarent, suo fructu nõ caruit. Perfectum in primis est Patris diligentia (alter Coadiutor erat) vt Parochi Clericique omnes seruandas in Missa coerimonias ritè callerent, & summa Christianæ doctrinæ capita statis horis in templo eodem, qui à Nostri tenetur ritu, ac methodo rudibus traderentur. Sublati profani quidam, & gentilitij ritus, & quædam obstetrici præstigia, & auguralia carmina, quorum loco Pater baptismi ritè proferendi formam ignaras edocuit. Nec leui occursum est damno, quo plerique infantuli sub ipso vitæ limine decedentes minimè in Christo renascebantur. Restincta plurimorum odia, factæ reconciliationes, sublata dissidia, quorum præ cæteris vnum acrius fuit, acerbiusque. Eò duas inter oppidanorum familias odiu processerat, vt tanquam ciuilibus belli turbine abreptum oppidum, & in duo castra diuisum, vtraque ex parte bonorum euerfionem moliretur, & corporum stragem. Nec saxis modò, sudibusque prauis, vt rustici solent: fed


fed lucentibus telis irruerāt. Dum itaque vi res sic geritur, non incommodè cessit, vt alterius factionis principis, & insigne dampnum in succisa ab aduersarijs vinea obueniret, & luculenta in occipite plaga infligeretur: tum enim (vt vexatio dat intellectum) Patri facilius aditus patuit, ad cicatricem animæ obducendam. Nec mera exhortationibus publicis ad omnes sapius in templo habitus, & priuatis cum ægro colloquijs effectum, vt hic omnium maximè latus iniuriam remitteret; ceteri Dei beneficio conciliarentur, & accepta vndique damna obliuione sempiterna obtererent.

AD Collegium redeo, cuius templum vrgetur in dies, eaque iam nunc cepit incrementa, vt non paruo toti ciuitati sit ornamento. Non desunt qui benignè agāt. Illustris foemina nostri studiosissima, cum nullam è coniugio sobolem suscepisset, ante obitum nos ex asse heredes scripsit, quindecim aureorum millibus Collegio fundando attributis: nec aliud à nobis petijt, quam die festo sanctæ Annæ (id ei nomen erat) sibi quotannis sacrum celebretur. Extabit verò Societati, tum piæ huius foeminae, tum vtriusque parentis ipsius, fida recordatio, vel ad perpetuitatem. Brundorum enim familia de nobis, & insigniter, & optimè mereri pergit; ante sex annos Hieronymus Brundo, huius Annæ Pater, ad iacienda nostri templi fundamenta, iam octingentos aureos numerauerat: idemq; ad perurgendum opus postea quatuor aureorum millia reliquit. Filia, vt videre est, patris liberalitati minimè concessit. Mater demùm coniuge etiam nunc & filia superuiuens vtrique palmam conatur præripere, ac præterquam quod alia quatuor aureorum millia, & quæcunque in bonis habet tabulis in perpetuum signatis, Collegio attribuit, ea tamen est in nos propensione, ac studio bona matrona, vt (quam non immeritò Collegij Matrem dixeris) se penitus nihil dedisse

repu

reputet. Nec alia de re dies noctesque, quam de nostrâ incolumitate, ac bono rerum progressu, aut cogitare, aut loqui videatur. Cæterum Patris Prouincialis in Sardiniam aduentus Calaritano in primis Collegio fuit perutilis; cum enim hætenus angustè satis, arctèque habitauerimus, optimam pomerio nostro accessionem fieri a Prorege impetrauit. Nimirum qua parte ad propugnaculum ciuitatis, & aer purior, & prospectus amœnior est, opere fornicato extendi cœpit, quadrum octodecim, aut viginti camerarum capax, quæ & à strepitu populari remotæ erunt, & Nostrorum habitationi percommodæ. Non defuere zoili, qui nostræ commoditati inuidentes, multa miserent, atque etiam interposita Senatus auctoritate disturbare opera niterentur. Sed datus est suus æquitati locus, sequè virum Prorex Societatis studiosum præbens, quæcunque blaterabant aduersarij nullatenus audienda duxit.

COLLEGIUM ECCLESIENSE.

CCLESIENSE Collegium numerat Socios nouem, quinque Sacerdotes, atque ex his alterum Humanitatis, alterum Grammatices scholæ Magistrum, Coadiutores quatuor. Natura concessit Collegij Rector Pater Cornelius Vaninus natione Italus, anno ætatis sexagesimo, Societatis amplius quadragesimo, is à primo adolescentiæ flore Deo consecratus, Roma in hanc Prouinciam venerat, vbi multis annis humaniores litteras, quas benè callebat edocuit, & plerisque Prouincialibus in regendi munere fidus extitit comes. Cùm aqua intercute pluribus iam annis

annis laborasset, tandem deposita valetudine, Calarim in domum Probationis deportatus est, quò commodius, si spes superesset vlla, curaretur. At generoso Christi athletæ in ea agonom terminus fuit; paucis enim post diebus sarcina corporis deposita, feliciter ad superos conuolauit. Vir profectò sui despicientissimus, verus Societatis alumnus, prudenti quadam, & religiosa simplicitate nitens, totus abstinetiæ, & corporis afflictationi deditus, sola pietate, ac diuini amoris delitijs viuens, eximio semper fuit, tum externis omnibus ad virtutem exemplo. Vtiliter hoc biennio à Nostris habitæ in summo templo conciones; potissimum tempore maioris ieiunij, ijsque commoti non laici tantum, sed etiam Ecclesiastici plerique ad nos venere, vt confessione facta peccatorum sarcinam deponerent. Item sublata vitia, boni mores introducti; studiosè honestas culta. Ipse prætor audita concione per præconem Regium edixit, ne deinceps quisquam iuuenum in triuijs subsisteret, quater est famulabus, & puellis ad aquam è fonte hauriendam. Hic enim nugis plerisque occursum est, ac verbis amatorijs, quæ suum auribus instillabant virus, & grauem animis perniciem inferebant. Non desunt qui re, & facto nos adiuuent. Quidam moribundus perpetuò sibi vnum è Nostris adesse volens, testamento centum quinquaginta aureos Collegio adscribi iussit. Aderant qui commodè Patres viuere obtenderent, alios non deesse pauperes, neque nobis diuitibus relinquendam esse hanc pecuniam causabantur. Sit ita, inquit ager, Patres Societatis non egeant; libet tamen his potius quàm alijs relinquere, vt per fenestram nummos projiciant, si velint. Primarius eius iniuria non leui lacesitus decreuerat vindictam sanguinis effusione complere; sed compescuit firentem animum vnus è Nostris alloquium, atque ita mitigatus est illius animus, vt coram Prætorè, & Consulibus

libus

libus aduersarium humaniter, & amicè amplexaretur, Congregatio Parthenia adolescit in dies, ac multitudine floret, studio, frequentia, ac pietate. Missi duo Patres in oppidum Sardanæ, qui utiliter admodum in Christo defudarunt, excultisque Sardanensibus, per finitimos pagos excurrentes quàm optimos, eosque vberes collectæ messi fructus addiderunt.

COLLEGIUM ALGARENSE.

DVODECIM alit è Nostris Algarense Collegium, Patres quinque, scholarem vnũ Humanitatis, vnum Rhetoricæ, & Grammaticæ Magistrum, Coadiutores quinque. Præter assiduas quæ singulis diebus dominicis habent in æde nostra conciones, superiore anno summi templi ambonem tenuit vnus è Nostris maximo ciuium concursu. Ibidem alius sexta quaque feria populum è superiore loco docens perutilem nauauit operam ciuitati: & eo quidè loco resita est, vt nusquam Dei beneficio maior vfus sit, nec crebrior apud Algarenses diuinorum Sacramentorum vfus. Quin etiam ea stat ciuium in nos fiducia, ea pietas, vt vix vllum suæ conscientiæ medicum, & iudicem aliunde petant. Nec vlla diei labatur hora, qua vel in templo Patrum aliquis non præbeat aures confitenti, vel alios animi dubios consilio non adiuet, ad egrum alius, & moribundum non euocetur, vt viri numero perpauca multorum labores, imò & totam ciuitatem suis videantur humeris sustinere. Nec deest diligentia qua familiariter præcipua doctrinæ Christianæ capita rudibus tradantur. Lustratur Xenodochium simul, & custodia publica: omni

ope, ac studio pauperes, & compediti iuuantur. Adde Scholam, quæ etsi pro tenuitate Collegij vinea est, in ea tamen docenti multiplex est iubeundus labor. Alijs enim (prout auditorum requirit varietas) præcepta Grammaticæ tradenda sunt, alijs verò sic aperiuntur Rhetoricæ fontes, vt hoc ipso anno ex huiusmodi officinula complures ad Philosophiam audiendam idonei prodierint, & Sassaritani Collegij Scholam nõ mediocriter exornent.

IN Sodalitium Dei Matris certatim admitti petunt primarij ciues, & ædis maxime nobiles canonici, quorum è numero voti compos factus est Archipræsbyter, non minus cæteris pietatis exemplo præstans, quàm muneris dignitate. Adfuit vnus è Nostris Algarensi Episcopo suam de more Dioecesim lustranti: nec breui oratione referri potest, quàm latos, atque vberes collegerit fructus. Exceptæ confessiones plurimæ, conciones ad populum habitæ, extincta penitus internecina odia, oblitteratæ iniuriæ, sublata offendicula, continentia demùm ac modestiæ freno coerciti, qui amore vago, atque impuro tenebantur, nec demùm vlla muneris Apostolici pars prætermissa. Itaque speramus fore vt breui nostro labori aspiret Deus, & operarios in suam messem plures accersat. Iam quippe noui Collegij, quod ante quatuor annos hic ædificari cœptum est, moles ad culmen exurgit. Non dubium est quin ante exactum ineuntis seculi priorem annum, vel triginta è Nostris per commodam fore habitandi sedem, nec alia decurrunt necessaria. Hoc ipso anno Episcopi liberalitate, quæ semper in nos eximia fuit, censui Collegij attributa est vinea prægrandis, eaque optima, cuius è prouentu iam magna ex parte Nostrorum subleuari cœpit inopia.

ANNO DOMINI MDCCLXXII. DIE VIGINTI OCTAUA FEBRUARII.

DOMVS PROBATIONIS CALARITANA.

PROBATIONIS Domus Calaritana complectitur e Nostris viginti Sacerdotes quinquorum duo tertium probationis annu peragunt. Scholares Nouitios septem: octo ex his qui ministerijs externis pro Christo se addixerunt, quorum sunt duo Nouitij: omnes Dei beneficio mortificationis, virtutum optimarum, & veræ perfectionis sese studiosos exhibent, atque arrepti in primis instituti obseruatores. Tyronum feruor domesticos ultra parietes proficere vilis: alij quippe alio peregrinati, multis bonus odor in Christo fuere, ac præ cæteris ij maxime, qui Sulcitana inuilitam petentes, vt sacros cineres martyris Antiochi ritè colerent, etiam omnium ætate minimi, non minorem tamen suæ velitationis laudem sunt consecuti. Cum enim in Ecclesiensi Collegio, vt fit, aliquot diebus subsisterent, lectissimos quosque, & maxime ingeniosos ciuitatis adolescentes pijs alloquijs, & religiosæ grauitatis exemplo ita permouerunt, vt eorum nonnulli primum Societatem appetierint: alijs qui admissionem petebant ad perstandum in proposito, & in dies vrgendum acrius animos addiderunt, & alas. Tres item e Patribus peracto laudabiliter studiorum cursu, tertium probationis annum aulpicaturi ab vrbe Turitana Calarum vique pedites victum petentes mendicato, doctrine Christianæ capita passim rudibus tradentes, & nonnunquam, prout res dabat, populum docetes e superiori loco, suis dignos studijs, ac moribus optimis, fructus huic tyrocinio intulerunt.

NE QVE verò Missionis fructus defuit. Ieiunij quadraginta dierum tempore, iuere duo, alter Sacerdo, scho'aris alter, in oppidum grande & populosum latis (Olienam vocant) mirum quàm acribus operariorum manibus compar occurrit ad laborandum seges. Cum enim, & in audiendis concionibus, & accipienda Christianæ doctrinæ catechesi, maxima singulis diebus esset oppidanorum frequentia, tum verò ad pietatis studium plus solito cuncti exarserunt, cum impetratam à Patre Generali, & Nostris adiunctam missionibus indulgentiarum seriem viua concionatoris voce audierunt, non visus est puer, non vir, non senex, qui tanquam signo bellico in Cacodæmonis artes euertendas coelitus dato, sese utroque sacramento munire non destinarit. Is itaque ad expiandas confessione animorum labes sexus vtriusque concursus, hæc assiduitas fuit, vt Sacerdoti nostro, vel canonicas recitandi horas, vel tantillum interspirandi totis quindecim diebus spatium vt concederetur, & ita breui tempore multa sunt, magnæq; præstita: restitutum æs alienum: nota diffensiones: subleuata pauperum inopia: veteres iniuriæ obliteratæ: nec tantum adducti ad egenis benignè agendum oppidi primores, verùm etiam ad numerandum centum nummos aureos, Archiepiscopus ipse communi pietatis sensu compulsus, ac proinde fuit prouisum, vt adolescentulæ, quibus ob rei familiaris tenuitatem periculum non leue imminebat, loco deinceps honesto, ac tutiore ponerentur. Nec segnius à Nostris minusve utiliter est domi quàm foris desudatum, in ægris visendis, confessionibus excipiendis, moribundis in agone supremo iuuandis, omnibus demùm muneris nostri partibus exsequendis, nutritus est, & ad auctus ciuium in nos amor, ac beneficentia. Nuper Matriona nobilis ac pia quadringentos aureos nobis sub obitum reliquit.

PRO